Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26265
Copyright: Admont, Benediktinerstift

femina de uiro reportauit uictoriam. fu
gauit populos consilio suo. horruerunt perse auda
tiam eius. Utique quod in illis pithagoreis du
obus mirantur. non expauit mortis periculum. sed
nec pudoris quod grauius bonis feminis. non
unius ictum carnificis. sed nec totius exercitus
tela trepidauit. Stetit inter cuneos bel
latorum femina. inter uictricia arma secura
mortis. Quantum ad molem expectat periculi.
mortis processit. quantum ad fidem dimica
ta. Honestatem ergo secuta est iudith. et dum
eam sequitur. utilitatem inuenit. honestatis
enim fuit prohibere ne populus dei se profanis
daret. ne ritus patrios et sacramenta perderet.
ne sacras uirgines. uiduas graues. pudicas
matronas barbaricae subiceret impu
ritati. ne obsidionem deditione solue
ret. Honestatis fuit se malle pro omnibus
periclitari. ut omnes eximeret periculo.
Quanta honestatis auctoritas ut consi
lium de summis rebus femina sibi uendica
ret. nec principibus populi committeret.